



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 9. De vrbibus Anseaticis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

quæ Diætas vocant, vnde multa existunt incommoda, occasione rei benè gerendæ euanescentibus. Legatur tractatus de constitutione Imperij Romano-Germanici per Iacobum Lampadium Iurifconsultum.

§. 9. De urbibus Anseaticis.

POST Hunnorum in Germaniam inundationes, & piratica Danorum, & Nortmannorum bella, aiunt vrbes maritimas conuenisse, & quæsisse modum, quo commercium tutum redderent. Itaque fœdus inter se inierunt, collatisque pecuniis etiam classes instruxerunt. Quare multa bella gesserunt, & Reges ad pacem compulerunt, interminatæ se iis adiungere qui honestas pacis conditiones admitterent. Porro de hoc fœdere quatuor excutenda sunt, de Nomine, de Prouinciis, de Emporiis, de Capite, & quasi Rectore.

Nondum constat vnde vrbes Anseaticæ NOMEN traxerint. Quidam à voce Teutonicâ *Anzée*, hoc est *mare* deducunt, quoniam vrbes ad mare sitæ sunt, aut ad maiora Flumina, ex quibus facilis ad mare patet aditus. Alij à nomine *Handt, Manus*, quia sibi manum vel suppetias offerebant. Alij à veteri voce Germanica *Hansa*, hoc est *assemblée*, citantque versionem noui Testamenti vbi Conuentus Phariseorum dicitur *Hansa*. Quidam denique nomen hoc deducunt à nomine Teutonico *Ansa*, hoc est *immunitas*, quia vrbes illæ multis priuilegiis gaudebant.

Porro in quatuor PROVINCIAS distinguebantur. Prima *Lubecensis*, & omnium caput, cui suberant vrbes 12. quinque *Vandalicæ*, septem *Pomeranicæ*. Secunda *Pruthenenensis*, seu *Gedanensis* de *Dantzic*, vbi vrbes 10. quinque in Prussia, quatuor in Liuoniâ. Tertia *Brunsvicensis*, cum urbibus vndecim. Quarta *Coloniensis*, vnde vrbes vna & triginta pendeant. Summa ergo urbium Anseaticarum erat 64. quæ tamen totidem fœderatas habebant.

EMPORIA quatuor constituta fuerant; *Novogordia* in Russia; *Londinum* in Angliâ, *Berge* in Noruegiâ, & *Brugæ* in Flandriâ; sed procedente tempore loca hæc immutata sunt; nam pro *Brugis Antuerpia*, mox *Amstelodamum*, substituta sunt. Ex *Novogordiâ Reueliam*, inde *Naruam* translatum est Moscouiticum Emporium.

CAPVT vrbium Anseaticarum diu nullum fuit, Aristocratico enim regimine administrabantur, tandem elegerunt Principem Teutonicum, & is honos primùm oblatu fuit Duci Prussiæ, quia eius intererat ne ferrum, & arma ad Moschouitas deferrentur; sed cùm Albertus Brandenburgicus se Regi Poloniæ submisisset, ei dignitas amota est. Prensaerunt illam Reges Daniæ & Sueciæ, sed reiecti sunt quia non erant Principes Imperij, nec Teutones. Exinde distrahi cœpere Angli, Flandri, Teutones, vnde vrbium illarum fama multùm imminuta est.

CAPVT II.

*Diuisio Germania in circulos.*

OLIM distincta fuit Germania in circulos sex, vt constat ex multis Imperatorum decretis; demùm anno 1512. à Maximiliano in publicis Comitibus decem sunt circuli constituti.

P R I - M V S FRAN- CONI- C V S	EPI- SGOPI	{	Herbipolitanus: <i>Vvurtzbourg.</i>
			Bambergensis: <i>Bamberg.</i>
			Eichstetensis: <i>Eichstet, ou Aigstet.</i>
	P R I N - C I P E S	{	Magister ordinis Teutonici: <i>Grand Maistre Teutonique.</i>
			Præpositus Eluangensis: <i>Preuost d'Eluang.</i>
			Marchio Brandenburgicus: <i>Marquis d'Onspach, &amp;c.</i>
			Comes Hennebergensis: <i>Henneberg.</i>
	L A I C I	{	Comes Hoenloicus: <i>d'Hoenlo, ou Holach.</i>
			Comes Erbachius: <i>Erpach.</i>
			Comes Schuuartzenburgicus: <i>Schuuartzembourg.</i>
le Cercle de Fran- conie.	C I V I - T A T E S	{	Norimberga: <i>Noremberg.</i>
			Rotenburgum ad Tubarum: <i>Rotembourg sur le Tauber.</i>
	L I B E - R Æ	{	Vinshimium: <i>Vveinsheim.</i>
			Schuuinfurtum: <i>Schuuinfurt.</i>
			Vissenburgum: <i>Vissembourg au Palatinat de Baviere.</i>